



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Austriæ peßimus status hoc tempore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

debatur. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Nec ab officio constatis Prophetæ vello unquam incommodi sui metu est retardatus, liberimè semper & pro concione, & priuatim, quæ censuit ad conscientiam Regis pertinere, ei subiecit.

Inter cetera persuasit hoc eodem anno, ante-
quam ille Pragam abiret, ut, quoniam res apparebat usq; magis in præceps ruere, aliquot pruden-
tium virorum consilia seriò cōferri iuberet; cau-
sasq; exitij, & remedij vias peruestigari. Quam
consultationem cum ipsi Canisio, & Collegij Re-
ctori Nicolao Lanoio, duobusq; consiliariis suis
admodum Catholicis demandasset, & Canisius
ex Urbe quoq; ab Ignatio opportuna ad eam rem
consilia poposcisset, & accepisset, vix quicquam
ultra processum est. Cum veniendū erat ad rem,
timebantur tumultus ac defectiones: & alienior
eo videbatur seueritas, quo maiores Hungariae
clades per eadem tempora Turcæ alias superalias
inferebant. Cū tamen sapientissime Magnus Leo
pronuntiet, Res humanas aliter tutas esse nō pos-
se nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent,
& regia, & Sacerdotalis defendat autoritas. Catho-
licorum Pastorum tanta premebat inopia, ut Ca-

*Quæ pro re-
ligione inte-
rim molitus.*

*Austrie pe-
simus status
hoc tempore.*

Ep. ad Paul.

N tholici

tholici Episcopi satius putarent ab Religiosis
 stris profugos Cœnobitas, & Presbyteros con-
 binis implicitos permitti, quam omni plebe
 sacrorum vsu priuari. Obseruauerat Urbanus
 bacensis Antistes totis annis viginti Ciuium
 ennensium neminem sacerdotem factum. De
 que peruaferat apud plerosq; opinio, catholica
 rem in iis Prouinciis pariter cum Ferdinando
 casuram: quem ipsum ab vno Canisio, & Iesuit
 & Labacensi Episcopo suffulciri, in eaq; sustin-
 dictabant. Ad supplendum aliqua ex parte
 storū desiderium existimabat Canisius comp-
 res per deserta illa Ecclesiarum Apostolicos Leg-
 tos spargendos. Ad iuuandam quoque nobili-
 tem, conuictorum adolescentium instituendū
 contubernium: sic enim & parentes concilia-
 posse, & ipsos pueros aduersus corruptelas Hæ-
 ricorum præmuniri: sic & reliqua contubernia
 quæ iam condita erant, facilius emendatum
 Quod Ignatius consilium pro loci necessitate
 probasset, subinde cum iam in sede propria,
 sua Collegium habitaret, & non nulla ædium fa-
 cultas suppeteret, initium factum est: ipseq; Pro-
 cancellarius Iacobus Jonas, & alij nobiles suos in

con-

conuictum liberos primi tradidere. Ergo in tanta
temporum labore, & corruptione, præcipitiq; quo-
dam lapsu, ac potius furiosa ruina in hæresim, ap-
paret quantum Austria beneficij à Deo per Cani-
sium acceperit.

Eodemq; tempore in alienas quoq; Prouin- *spargitur*
cias, atq; regna per eius nomen, & operam Deus *Societatis*
societati aditum præparabat. Nam Strigoniensis *fama per*
Archiepiscopus in Hungaria, Transyluanus in *Canisium.*
sua Prouincia Collegia offerebant: & instabat V-
ratislauiensis apud Regem Romanorum, & Nū-
tium Apostolicum per literas, & Legato missio.
Ad hæc Martinus Cromerus (cuius extant de Po-
loniæ rebus laudatæ Historiæ) cum Legatus à Si-
gismundo Rege ad Ferdinandum venisset, Cani-
sij captus sancta, docta q; consuetudine, cognita-
que societate, eam Polonis Principibus, maxime-
que Stanislao Hosio Varmiensi Episcopo, postea *Stanislao*
que Cardinali plurimum commendauit. Atque *Hosio con-*
Hosius ut erat vir egregiè doctus, & ardens studio
religionis, iam tum in cogitationem venit Socie-
tati Collegium excitandi in sua Diœcesi; & Cani-
sium ita diligere, facere q; tanti cœpit, ut eius con-
silia multum exquireret, præsertim de operibus,

N 2 quæ